

7. *Ostenditur præterea inductione facta per aliquas conditiones meriti. — Ex prima conditione. — Ex secunda. — Ex tertia.* — De aliquibus ergo conditionibus concurrentibus in actu meritorio, vel ad meritum requisitis, facile intelligitur, et extra controversiam est, quod augeant meritum actus, si cætera paria sint. Primum id constat de excellentia actus studiosi ex specie, seu objecto suo, ut testatur D. Thomas in dicto quodlib., et in dicto etiam lib. 9 ostensum est. Quia cum fundamentum meriti ex parte actus sit bonitas ejus, quo hæc major fuerit in ipsamet essentia et specie actus, eo dignius erit præmio, si in cæteris sit æqualitas. Secundo, probat hæc ratio idem esse dicendum de omnibus circumstantiis augmentibus moralem dignitatem operis, sive augeant illam quasi intensive intra eandem bonitatis speciem, sive extensive, addendo novam accidentalem speciem. Quia priori modo est augmentum quasi intensivum in morali bonitate operis; posteriori autem modo est quasi extensivum, et æquivalens multitudini operum. Tertio, erit hoc augmentum longe certius, si fuerit in relatione charitatis, nam quo hæc fuerit major, tanto crescet ex eo capite meritum operis, et ideo actualis seu formalis relatio magis auget, quam sola virtualis, et intensius charitatis imperium, seu ex ardentiori affectu procedens, magis quam remissius. Et eadem ratione quodlibet imperium distinctæ virtutis augebit actum alterius in merito, magis quidem, vel minus, juxta suæ perfectionis gradum, et secundum modum in superioribus declaratum. Et hac ratione dixit divus Thomas 2. 2, quæst. 88. art. 6, opus ex voto factum cæteris paribus magis meritorium esse, quam sine voto factum.

8. *Ex quarta. — Ex quinta. — Ex sexta.* — Quarto etiam difficultas, quæ ex objecto nascitur, meritum operis auget juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2, quæst. 114, art. 4, ad 2; et 2. 2, q. 2, art. 10, ad 3; et in dicta lect. 2. Et ratio est, quia talis difficultas per se auget operis bonitatem. Quinto, meritum non parum augetur ex augmento voluntarii, quod omnes etiam fatentur, nam quo actus magis fuerit voluntarius, eo, cæteris paribus, est magis meritorius. Loquimur enim de voluntario, prout formaliter distinguitur a libero, et sic magis voluntarium dicitur, quod majori affectu et conatu voluntatis fit; at vero quod fit majori conatu et affectu, fit etiam actu voluntatis intensiori, quia ex majori co-

natu oritur major intensio, nec illa major affectio potest in alio augmento ipsius actus consistere. Ergo illud magis voluntarium auget meritum, quia intensio actus ex se meritum auget, quia auget ipsam entitatem actus, et consequenter etiam honestatem. Adde vero sexto, etiam majorem libertatem actus augere meritum ejus, si cætera paria sint, quod videtur etiam extra controversiam esse; tum ex illa regula, quod sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; at libertas multum conducit ad meritum, imo ad illud est simpliciter necessaria: ergo major libertas de se augebit meritum; tum etiam quia major libertas per se auget laudem bene operantis, sicut e contrario in opere malo auget culpam, seu demeritum ejus, et facit peccantem magis reprehensibilem, et minus veniam dignum. Sicut etiam ignorantia aliquo modo excusat, quia minuit libertatem. Cum ergo hæc certa et clara sint, de aliquibus aliis circumstantiis actus sunt particularia dubia, quæ in sequentibus capitibus prosequemur.

## CAPUT XXI.

UTRUM DURATIO SEU CONTINUATIO ACTUS, CÆTERIS PARIBUS, EJUS MERITUM AUGEAT?

1. *Prima dubitandi ratio. — Secunda. — Opinio Bannez.* — Ratio dubitandi potest esse duplex. Prima veluti a priori, quia meritum consistit in actu interno, ut supra visum est; duratio autem nihil addit actui interno; ergo nec meritum illi addit. Minor probatur, quia, physice rem spectando, illa duratio nihil addit actui, quia non est successiva, sed permanens, et ita nihil addit actui, sed est omnino actus permanens, sicut Angelus durans per horam, nihil amplius habet quam in primo instanti recepit. Moraliter item loquendo, nihil videtur esse in illa duratione dignum majori merito, quia voluntas nec plus conatur, nec nova vel majori libertate utitur, dum in eodem actu perseverat. Altera ratio ab inconvenienti est, qui alias in quolibet actu continuato per aliquod tempus esset meritum infinitum, quod nullus admittet. Probatur autem sequela, quia meritum est talis proprietas actus, ut in instanti perfici possit, sicut et ipse actus, unde in primo instanti, in quo fit actus, habet certum meritum, eique responderet certum præmium, etiamsi amplius non duraret; ergo si duratio temporis auget meritum ejus, tantumdem merebitur in quolibet ins-

tanti illius temporis, quantum in primo, quia non est major ratio de uno quam de alio; at vero in tali tempore sunt infinita instantia; ergo in illis merebitur talis actus infinitos gradus vel partes æquales intensiois præmii (ut sic rem declarem), et inter se non communicantes, nam in quolibet instanti meretur aliquid omnino distinctum ab aliis; ergo erit in tali præmio infinita intensio, quia, ut jam diximus, multitudo illa meritorum partialium respectu præmii est intensiva, et illud, in quo sunt infinitæ partes, vel quasi partes æquales, et inter se non communicantes, est infinitum simpliciter, et in actu, ut ex philosophia manifestum est. His argumentis, præcipue hoc secundo convicti, aliqui Theologi negant augeri meritum ex continuatione actus, Bannez 2. 2, quæst. 24, art. 6, dub. 5. Alii vero, licet non id negent de omni duratione, necessarium tamen putant de aliqua minima id negare, intra quam meritum non augeatur, ut in solutione secundi argumenti melius explicabimus.

2. *Assertio communiter recepta. — Prima ratio pro assertione. — Secunda. — Tertia. — Quarta.* — Vera nihilominus sententia est, quæcumque durationem actus interni meritorii augere aliqua ex parte meritum, seu præmium illi respondens. Hæc assertio communiter recepta nunc est, eamque docent communiter moderni 1. 2, quæst. 114, et docuit Victoria in Relect. de augment. charitatis, p. 1, in fine. Eandem supponit Corduba, lib. 1 Quæstion., q. 9, in fine, in resolutione opinionis quintæ, ubi æquiparat continuationem unius actus multiplicationi plurium actuum similium, in hoc quod, sicut plures actus remissi possunt æquivalere in merito uni actui intenso, ita et unus actus minus intensus et magis durans possit æquivalere in merito actui magis intenso, et minus continuato. Et allegat Scotum in 3, d. 27, art. 3, ubi nihil invenio, et in 2, d. 6, q. 1, ubi id quidem dicit de actibus remissis multiplicatis, de continuatione autem nihil attingit. Citat etiam Gabriel in 2, dist. 5, art. 1, ubi etiam loquitur de actu multiplicatione; aliquid vero de continuatione indicat, cum infert ad magnitudinem meriti non requiri longitudinem temporis in merendo; in hoc enim significat utilem esse posse, licet necessaria non sit. Ratione probatur primo, quia perseverantia in bono opere est quædam proprietas operis honesta, et libera, et in gloriam Dei redundans; ergo apud Deum est digna præmio;

ergo, cæteris paribus, auget meritum actus; at continuatio ejusdem actus est quædam perseverantia, quæ, licet possit esse magna et parva, tamen cum proportione habet eandem honestatem; ergo cum proportione etiam auget meritum. Secundo, quia unus actus diuturnus moraliter æquivalet pluribus similibus actibus eodem tempore factis; sed illi plures actus augent meritum; ergo et continuatio actus. Tertio, in operibus externis videtur certe id manifestum; quis enim neget diuturnam orationem esse magis meritoriam quam brevem, et sic de aliis; meritum autem talis operis consistit in actu interno voluntatis substantialiter, qui sane actus internus potest esse idem eodem modo perseverans, neque inde profecto minuitur meritum, quin potius cæteris paribus potest id esse melius; ergo in eodem actu interno per ipsius continuationem meritum crescit. Quarto, juxta communem sensum omnium hominum prudentium, majori laude dignus est, qui in eodem actu, verbi gratia, amandi Deum, diu perseverat, quam qui subito et quasi transitorie illum elicit, et statim omittit; ergo, eadem ratione, est majori præmio dignus, ac subinde continuatio meritum auget. Denique in ipsa actus continuatione, per se et ex natura sua est aliqua difficultas, quæ libere et propter Deum, seu propter honestatem vincitur; cur ergo non augebit meritum? Nulla profecto est ratio probabilis, ut ex solutionibus argumentorum magis constabit.

3. *Solvitur prima dubitandi ratio in num. 1.* — Et prima quidem ratio dubitandi ex dictis manet soluta. Quidquid enim sit de physica additione, negamus continuationem actus nihil addere moraliter affectioni ejus. Nemo enim negare potest quin conservatio rerum permanentium, etiam immortalium, seu incorruptibilium, sit continuum beneficium Dei, semperque majus, etiamsi per illam nihil physicum seu reale addatur rei in principio factæ, quia ratio beneficii, quæ moralis est, crescit per rei permanentiam in eodem esse, quamvis nulla entitas, vel modus realis ac physicus illi addatur. Ita ergo crescit moraliter obsequium erga Deum per continuationem ejusdem operis, licet physica additio nulla fiat, quia meritum morale quid est, et moraliter augeri potest. Unde cum dicitur voluntas conservando actum non plus conari, illud plus æquivocum est, quia potest intelligi intensive, et ita verum sumitur, tamen illud non est necessarium ad augmentum

meriti; vel plus extensive, et sic falsum assumitur, quia ipsa major continuatio in conatu major quædam extensio est, non quidem realis per realem successionem, sed virtualis, quæ per coexistentiam ad successionem a nobis percipitur. Eademque distinctio ad voluntarium seu liberum usum applicanda est, nam, licet ex vi solius continuationis non sit major intensive, crescit extensive, quod ad augmentum meriti satis superque est.

4. *Ad secundam rationem dubitandi quid Nominales dicant.* — Propter vitandum inconveniens illatum in secunda ratione, aliqui Nominales limitant assertionem positam, ut non procedat de omni continuatione actus, sed de illa, quæ libera est, et nova advertentia facta. Dicunt enim actum voluntatis libere elicatum, per aliquem brevem moram necessario durare, et in illa non crescere meritum, quod in primo instanti actus habuit. Quo posito, facile solvitur argumentum, quia illæ morulæ sunt in numero finito, et ita, licet in omnibus æqualiter augeatur meritum, non sequitur infinitum augmentum. Ita docet expresse Gregorius, in 2, dist. 3, quæst. 1, art. 2, ad 4. Quod si interrogas, an illa mora necessariæ continuationis sit certæ ac determinatæ quantitatis, seu temporis, Gregorius nihil expresse dicit; tamen, ex verbis ejus colligimus satis clare, illum sensisse morulam illam coexistere determinatæ parti nostri temporis. Nam ita loquitur: *Est dare tempus ita breve infra quod nullo modo potest desistere ab actu.* Certe hoc non dicitur congrue, nisi de tempore determinato. Deinde post illud tempus, dicit dari aliquod tempus, *pro quo voluntas non est libera ad cessandum ab actu*, et post illam brevem morulam dari instans, in quo potest voluntas jam libere desistere ab actu; at vero mora interclusa inter duo instantia definita est, cum inter duos certos terminos claudatur. Ex quo etiam constat, quicquid P. Vasquez dicat, docuisse Gregorium, actum illum, licet in productione fuerit liber, in illa continuatione esse necessarium; nam expresse dicit illam continuationem actus non prodesset ad augmentum meriti, *quæ non est libera*, et consequenter dicere debuit, post primum instans productionis actus usque ad instans in quo illa mora desinit, et secunda incipit, in omnibus intermediis instantibus non esse in potestate voluntatis desistere ab actu, quia in hoc consistit illa necessitas. Unde autem oriatur illa necessitas permanendi in libero actu per talem moram non explicat Gregorius,

nisi ex eo quod in tam brevi mora non potest operans scienter advertere ad liberam continuationem actus, ut possit etiam libere ab illo cessare, si velit. Unde expresse advertit, hoc non esse impossibile simpliciter, sed quantum est ex naturali modo operandi. Nam si Deus (inquit) infunderet notitiam adeo perfectam, pro singulis instantibus, ut operans posset in singulis eorum actum mutare scienter, tunc cessaret necessitas continuandi actum per aliquam morulam. Illo autem casu posito, concedit meritum continui temporis esse infinitum simpliciter, et illi respondere præmium infinitum in actu, quod non putat esse impossibile. Atque in hunc modum intellexit hanc opinionem Gregorii Almain., tract. 1 Moral., cap. 9, et in Dictatis super Olcot., quæst. 3, circa 7 artic. in arg. 3 secundæ opinionis; ipse tamen non sequitur opinionem Gregorii; sed aliam reputat probabiliorē, ut in priori loco expresse dicit.

5. *Improbantur dicti Nominales.* — Et mihi quidem hæc opinio improbabilis est, quoad illud fundamentum de continuatione actus liberi necessaria per morulam definiti temporis quantumcunque brevis. Quia in nullo instanti signabili post primum instans in quo actus fit, potest assignari causa necessitatis voluntatem ad conservationem talis actus, quia vel hæc est causa extrinseca, et hæc fingi non potest, tum quia nullum est talis fictionis fundamentum, cur enim magis talis causa in progressu actionis, quam in principio necessitatem inferret? tum etiam quia solus Deus posset esse talis causa; Deus autem, eodem concursu perseverante conservat actum voluntatis, quo ad illum producendum cum illa concurrat, et si majorem impulsu præberet, id extraordinarium et miraculosum esset. Vel illa causa est intrinseca, et hæc etiam facile excluditur. Quia imprimis talis causa non est ipsa voluntas, nam illa de se tam domina est sui influxus ad conservandum, quam ad efficiendum actum, quia influxus in re idem est, et voluntas, præbendo illum, non abstulit a se potestatem suspendendi illum, quam de se habebat, præsertim cum mutabilis sit, et ab intrinseco possit in se mutationem efficere tam ab actu ad non actum, quam a non actu in actum. Neque in hoc est alia ratio in brevi quam in longo tempore, quantum est ex parte voluntatis. Deinde neque intellectus potest esse talis causa (ut magis Gregorius indicat), quia eandem advertentiam quam intellectus habet in primo instanti, quo voluntas elicit

actum, habere potest facile in illa morula, et in singulis instantibus ejus; ergo sicut sufficit illa advertentia, ut actus libere fiat, et cum potestate non faciendi illum, ita sufficit ut libere in illo perseveret, et cum potestate desistendi ab illo in quolibet instanti signabili in illa brevi morula.

6. *Urgentur in Christo, Beatissima Virgine et Angelis.* — Atque hoc maxime urget in Christo Domino, qui summa advertentia et consideratione operabatur, sive inchoando actus, sive perseverando in illis pro quacumque mora. Et in suo gradu idem videtur certissimum in Beatissima Virgine; imo in Angelo videtur evidens, quia intuitive intuetur suum actum, et potest etiam actu contemplari coexistentiam ejus ad tempus continuum, sive existens, sive possibile, et quod sit in manu sua, plus vel minus in illo actu durare pro sua libertate; ergo ex parte advertentiæ intellectus libere perseverare potest in illo actu pro quacumque mora, vel instanti quod in eo cogitari possit. Eo vel maxime quod ad libertatem continuationis non est necessaria tanta reflexio intellectus, sed satis est perseverare in illa advertentia intellectus, per quam objectum talis actus, licet repræsentetur ut conveniens, non tamen ut necessarium. Denique cum Gregorius admittat possibilem esse de potentia absoluta advertentiam, quæ ad hanc libertatem sufficiat, non video quo probabili fundamento negari possit, vel Angelos ex perspicacia sui intellectus totam illam advertentiam habere posse, vel nulli sanctorum hominum, etiam Beatissimæ Virgini, communicatam fuisse. Admittere autem in his omnibus meritum simpliciter infinitum in actu, improbabile est omnino. Imo etiam de potentia absoluta videtur vanum, propter solam illam advertentiam tribuere actui infinitum meritum; unde nullus Theologus ex eo capite ipsi etiam Christo tribuit meritum infinitum.

7. *Quid respondeat Vasquez ad prædictam rationem dubitandi.* — *Ei favet Almain. aliquantulum.* — *Fundamentum Vasquez.* — Aliter ergo, ex eadem continuatione actus alio modo declarata, difficultatem illius argumenti expedit Vasquez 1. 2, disp. 54, c. 3, et disp. 219, cap. 2, num. 19; supponit enim actum voluntatis non posse per solum instans nostri temporis durare, ex quo infert ex vi illius instantis, in quo actus primo fit, nullum determinatum meritum illi respondere, sed toti durationi ejus certum gradum, et singulis partibus durationis singulas partes

meriti cum proportionem; instantibus autem, tam primo quam cæteris, vel nihil meriti determinati, vel saltem nullam partem divisibilem præmii respondere, et ideo ex duratione per infinita instantia non sequi augmentum meriti, vel præmii infinitum. Et hanc opinionem de necessaria continuatione actus voluntatis per tempus indeterminatum, magis videtur probare Almain. supra, et illam refert ex Okam, et ex quodam antiquo, Clymeton vocato; ipse tamen non omnino in ea persistit, sed hinc inde argumentando rem indecisam relinquit, licet in hanc partem magis inclinet. Fundamenta horum Doctorum inter se videntur esse contraria. Vasquez fundatur, quia res permanens, seu indivisibilis, et quæ habet totum esse simul, non potest durare per solum instans; actus autem amandi, verbi gratia, est res permanens non habens in se intrinsecam successionem; ergo non potest durare per solum instans; ergo necessario durat per tempus, saltem indeterminatum. Consequentia optima est, et minor supponitur ut clara. Majorem autem probat ille auctor, quia res permanens non potest desinere per ultimum sui esse, sed per primum non esse, et ideo necesse est ut duret per aliquod tempus, quod necessario intercedit inter illa duo instantia, quia non possunt esse immediata. Quæ illatio optima est. Assumptum vero dicit se probasse late in 1 p., disput. 229, cap. 10, ubi imprimis ait, illud esse axioma communiter a philosophis receptum, et in speciali allegat Gregorium et Almainum in locis citatis, qui de illo principio nihil ibi dicunt, neque in illo fundantur, ut de Gregorio retuli, et de Almaino statim dicam. Ratione id probat, quia si res permanens desineret per ultimum sui esse, ipsum non esse rei inciperet per ultimum non esse, ac proinde successive; hoc autem repugnat, quia non esse rei indivisibilis est totum simul, et ideo non potest successive incipere; ergo debet necessario incipere in instanti, quod sit primum non esse rei permanentis, ac proinde res permanens non potest desinere per ultimum sui esse. At vero Almainus fundamentum longe diversum refert ex illo Clymeton, scilicet, quod, licet voluntas possit actum producere in instanti, non tamen corrumpere. Hoc autem non inde colligit, quod res permanens non possit desinere per ultimum sui esse, sed ex hoc quod productio rei indivisibilis, verbi gratia, actus amandi, fit sine resistentia, quia solum præ-

cedit non esse illius, quod productioni non resistit, et ideo potest in instanti fieri. Corruptio autem rei productæ non fit sine resistentia ejusdem rei jam productæ, quia supponit rem existentem, et unaquæque res appetit conservari in esse, et ideo resistit corrupti: ergo illa corruptio non potest in instanti fieri. Unde videtur hic auctor contrario fundamento niti, quoad hoc quod non esse actus producti a voluntate non potest in instanti incipere, sed successive fieri.

8. *Refutatur tota superior doctrina.* — Tota vero hæc doctrina male fundata est in philosophia, et in Theologia non caret gravioribus incommodis. Primum ergo, quod res indivisibilis possit per unum tantum instans durare, dubitari non potest; nam ipsamet instantia indivisibilia sunt, et uno momento singula durant; generatio, etiam substantialis, quæ in determinata parte materiæ fit, in instanti fit, et pro solo illo instanti durat, quo fit; creatio etiam rei in momento fit, et potest pro eodem instanti tantum durare. Nam licet de facto eadem actio, qua res creatur, perseveret, quamdiu res per illam conservatur, tamen posset Deus, pro sua libertate, rem, quam creat, non conservare, sed immediate post instans creationis influxum suum suspendere, et tunc creatio per instans tantum duraret. Vel etiam posset Deus rem a se solo creatam immediate post per aliquam causam secundam conservare, ac proinde per novam actionem, priori actione creandi statim cessante. Ad hæc exempla, saltem de instantibus et de generatione, quia negari non possunt, respondent adversarii assignando speciales rationes, propter quas ille modus durationis indivisibilis in rebus illis sit necessarius. Sed nunc non oportet rationes illas expendere, quia sive ex hac, sive ex alia radice ille modus essendi et transeundi nascatur, nobis satis est, quod rei indivisibili non repugnat invisibiliter durare per solum indivisibile momentum. Hoc enim exempla adducta convincunt, nam si repugnaret, nunquam posset id fieri propter quamcumque causam vel rationem.

9. *Res permanentes per ultimum sui esse desinere non repugnat.* — Atque hinc ulterius concludimus, non repugnare rei permanenti desinere per ultimum sui esse. Probatur in exemplo de generatione, nam illud idem, quod est primum instans sui esse, est ultimum esse ejusdem, quia immediate post illud non est. Unde etiam fit ut non esse talis

generationis incipiat in tempore immediato post instans ipsius generationis, ac proinde fit ut, secundum coexistentiam ad nostrum tempus, ipsum non esse generationis incipiat extrinsece per suum ultimum non esse, si ita licet loqui, nam cum duæ negationes affirmant, tale ultimum non esse planius vocabitur ultimum esse generationis. Idemque posset contingere in creatione pro arbitrio Dei, ut dixi, imo et in re creata, quæ longissimo tempore duret, potest fieri ut Deus illam conservet usque ad unum instans intrinsecum sui esse, et immediate post illud non conservet, ac proinde incipiat non esse talis rei immediate post ultimum instans ejusdem rei. Denique ille auctor non audeat negare quin de potentia absoluta possit operatio voluntatis desinere per ultimum esse; ergo necesse est ut fateatur ex parte rei non esse repugnantiam. Nam si quæ esset repugnantia, profecto etiam de potentia absoluta procederet. Nam si quæ esset repugnantia, maxime quia si res, quæ tota simul est, seu fit, inciperet immediate post aliquod instans, sequeretur incipere successive, quia per ultimum non esse; at vero incipere successive repugnat rei indivisibili et permanenti; ergo. At vero hæc ratio si vera sumit, etiam in ordine ad potentiam absolutam procedit, quia rem indivisibilem fieri successive et per partes, contradictionem implicat; ergo e contrario, si Deus potest id facere, non est vera illa repugnantia, et in mala illatione fundatur. Nam, licet res incipiat immediate post aliquod instans, potest tota simul incipere, coexistendo intrinsece tempori immediato post instans, non ita ut pars illius rei coexistat parti temporis, et tota toti, sed ita ut tota coexistat toti, et tota singulis partibus et instantibus talis temporis. Et ita nulla est in modo illo incipiendi aut desinendi rei permanentis repugnantia.

10. *Ad probationem majoris propositionis eæ Almaino in num. 7.* — Unde ulterius addimus quod, si ex parte rei, et in ordine ad divinam potentiam, talis repugnantia non invenitur, nulla etiam est in actibus liberis in ordine ad naturalem potentiam liberi arbitrii. Nam imprimis illa, quam Almainus seu Clymeton considerant ex resistentia ipsius actus, frivola est, quia actus voluntatis non desinit per aliquam actionem contrariam in ipsum, cui ipse possit resistere, sed potest desinere per solam suspensionem influxus voluntatis in ipsum, cui suspensioni actus

ipse non potest magis resistere, quam possit creatura resistere factori suo, si velit influxum, quo illam conservat, suspendere, quia ad hoc sufficit libertas causæ, quam effectus ipsius impedire non potest. Deinde potest etiam voluntas corrumpere unum actum suum, efficiendo alium, cui efficientiæ non potest præexistens actus resistere, quia totus est pendens ex dominio voluntatis, quæ semper manet libera, ut totum suum influxum in alium actum subito transferat. Et præterea, licet ex parte actus considerari possit aliqua resistentia, ad summum inducet aliquam difficultatem in illa mutatione faciendi propter inclinationem formalem actus semel facti; non tamen potest esse talis resistentia quæ cogat corrumpere actum præexistentem successive et non totum simul, vel in tempore, et non in instanti; nam primum est impossibile, et repugnans tali actui, ut est res permanentis, et de se indivisibilis; secundum autem est evidenter falsum, nam postquam voluntas elicit unum actum, sive parum, sive multum temporis in eo duret, postea in uno instanti inchoat novum actum, ac proinde non in tempore, nec successive; ergo resistentia actus non potest impedire quominus voluntas ita subito et in momento corrumpat suum actum, sicut illum elicit. Plus videri potest resistere actus per horam continuatus, quam in momento factus, et nihilominus ille totus simul relinquatur a voluntate; ergo etiam momentaneus actus potest statim corrumpi.

11. *Ad probationem ab inconvenienti, eæ Vasquez ibidem.* — Deinde non est fortior altera ratio sumpta ab inconvenienti, quia non esse actus fieret successive; negatur enim sequela, quia fit totum simul, sicut quando per potentiam Dei ponitur actus voluntatis desinere per ultimum esse, ipsum non esse actus intrinsece spectatum non incipit successive, quia non fit per partes, sed totum simul fit; idem ergo esse poterit, etiamsi non esse talis actus per libertatem solam voluntatis incipiat. Nec sequitur, incipit intrinsece per coexistentiam ad tempus, ergo successive; quia totum est in tempore, et totum in qualibet parte et instanti illius temporis. Sicut eadem etiam res conservatur in tempore coexistendo illi non per successionem, sed existendo totam in tempore toto, in qualibet parte et momento ejus. Idem ergo est de inceptio, nam profecto est eadem ratio, etiamsi aliquam diversitatem adversarii assignare conentur, dicen-

tes, in re, quæ incipit tota simul, assignandum necessario esse intrinsecum terminum ipsius esse, quo a præcedenti non esse dividatur. In hoc enim petitur principium, nam hoc est quod negamus. Nam sicut potest tota res permanens coexistere toti horæ, et non existere in ultimo instanti, seu primo non esse illius horæ, nec ex ea parte datur terminus intrinsecus ultimus in re, quæ desinit, sed extrinsecus per primum non esse, ita potest eadem res permanens coexistere toti horæ, et non existere in primo instanti, quod fuit ultimum non esse ejusdem horæ, nec oportet ex ea parte dari instans intrinsecum in re, quæ sic incipit, sed extrinsecum per ultimum non esse.

12. *Illatio adversariorum impugnatur.* — Et ideo etiam non recte inferitur: Res incipit tota simul; ergo incipit in instanti, seu per primum sui esse, utique secundum coexistentiam ad nostrum tempus. Nam in hoc etiam sæpe laboratur in æquivoco. Aliud est enim loqui de duratione intrinseca rei permanentis, aliud de extrinseca mensura temporis nostri, vel instantis, cui eadem res permanens coexistit; nam prior duratio est permanens, et tota simul, sicut est res, cujus est duratio, et ideo in se est instans Angelicum, vel illi æquivalens, de cujus ratione non est coexistere soli instanti transeunti nostri temporis, sed potest etiam per tempus permanere, quamvis hoc etiam non semper necessarium sit, sed pendeat ex arbitrio, vel modo agendi causæ conservantis. Et ratio est, quia coexistentia ad extrinsecam mensuram solum dicit respectum ad alteram durationem simul existentem, quod contingens et accidentarium est, et ideo ejusdem rationis est intrinseca duratio, sive alteri coexistat, sive non. Hinc ergo fit ut omnis res, quæ tota simul et impartibiliter incipit secundum intrinsecam durationem, in instanti incipiat, ac subinde per primum sui esse. Nihilominus tamen per coexistentiam ad nostrum tempus potest incipere per ultimum non esse, id est, non coexistendo alicui instanti signato nostri temporis, sed coexistendo tempori, quod immediate post aliquod tale instans sequitur; nam cum utraque coexistentia sit accidentaria, uno et alio modo accidere potest. Et sicut Deus potest id facere in suis operibus, ita et liberum arbitrium in suis actibus, sine ullo miraculo vel difficultate, sed utendo suo naturali dominio, quod in suos actus habet. Et sicut hoc modo res permanens potest incipere per ultimum